DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVI. MARTII.

M. PAVLO COVRTOIS Doctore Medico, Præſide.

An morbi inſolentes & qui Naturæ modum ſuperare videntur, ab vtero, liene? 1131

MORTALIVM honeſtiſſimum apertiſſimumque votum, ſanitas eſt; nimiâ hujus felicitate tumentium flagellum, morbus: illa partium omnium, ex quibus corpus coagmentatum, eſt integritate continetur; hic vel partis vnius offenſione, vt propterea tot ſint morborum, quot partium genera. Porrò harum non eſt par dignitas, aut ad vitam neceſſitas, atque commoditas. In principibus, à quibus ſanguis, vel ſaltem ſpiritus ad cæteras deriuatur, magnum eſt ad ſalutem, & ad morbos momentum; magnum & in illis quibus cum pleriſque alijs arcta intercedit ſocietas, ſimulque corporis ſuâ illuuie purgandi cura data eſt, Vix enim vnquam ægrotat corpus, cùm abſunt qui & à partibus prodeunt vitioſi ſucci, quorum & ingenium ratioque multiplex eſt, & tanta plerùmque varietas atque confuſio; vt quidquid morborum hominem affligit, vix alio è fonte ebulliat. Et verò vt alia, atque alia fuerit cùm corporis, tum humoris cujuſque temperatio; ita & ſingularis futura eſt morbi cujuſque ratio. Motiones animæ quibus imaginamur & appetimus, vbi vltra modum feruntur, quòd procliues ad obſequium ſpiritus, & humores, vnáque corpus ſummâ vi percellant ac immutent, morbos quoque creant grauiſſimos. Præpoſterum vitæ genus, rerumque externarum incurſiones, ſi non ſuapte vi morbos gignunt, quòd fere princeps eorum cauſa in intimo ſedeat corpore, certè modificant, eóque magis corroborant, quò ad illos hoc paratius fuerit. Tot concurrentibus rebus, multiformes exiſtunt morbi, quorum alij frequentiâ inuadendi, vſúque ipſo peruulgati & cogniti; alij inuſitatâ peruicaciâ, feritate, ſymptomatum quæ Naturæ captum ſuperare videantur nouitate terribiles, inſolentes, ſacri, Diuorum nomine appellati, Deo vel Dæmoni aſſignati; quos inter principatum obtinent hyſterica Melancholia, & Suffocatio, Furor vterinus, Amor inſanus, Epilepſia, Incubus, Apoplexia, Melancholia hypochondriaca, Lycanthropia, Inſania, Ecſtaſis melancholica, Dæmoni aſcripta Mania, & ſiqui alij tenentur horum cognatione.


MORBORVM immanium & ſpecie ipsâ terrorem incutientium, nec ratio, nec origo eſt vna; plerumque tamen licet nomine, ſymptomatumque diuerſitate ac ferociâ plurimum diſſidere videantur, ab eadem velut ſtirpe funduntur, magíſque facie, quàm indole & naturâ diſcrepant: nec ſi quid in ijs occurrat inſolens, id ſtatim Naturæ limites tranſgredi, aliundéque ortum cenſendum eſt. Admirabilem hujus vim, quæ ordinaria Dei poteſtas eſt, quicumque ratione perſequuntur, nec tam euenta, quàm cauſas, in quibus tanquam in ſeminibus res ipſæ conditæ ſunt, earumque colligationem, & quid ex quoque euenire queat, acri mente inueſtigant; ea peruident, quæ inſcitiâ oppreſſos imbecilliores animos planè fugiunt. Multa ſinu ſuo premit ſacra parens, quæ ſi prodat, nouorum operum inſuetos ſtupore defigat. Sæpius quidem tritâ viâ procedit; at interdum egreſſa extra illa ſpacia, intra quæ deambulare ſolet, ſibíque præfidens ac velut exultans, mira perficit, quæ non ſatis intellecta, cauſæ ſuperiori accepta feruntur ab ijs qui de rerum vniuerſitate balbutiunt. Cauſarum ſcilicet ignoratio in re noua mirationem facit; vt niſi error quem nouitas attulit, ratione depellatur, quod rarò fit, portentum habeatur; quaſi referat, quod fieri poteſt, quàm id ſæpe fiat; alioquin & ſapiens portentum ſit. Fuére qui vtero clauſi vagirent, qui vel quinto menſe ex illius emiſſi vmbraculis, humanæ vitæ ſpacia feliciter decurrerint, qui mox vt lucem adſpexére, loquerentur. Fuére quibus in prima ætatula, imò adhuc à matris vbere pendentibus, ros quidam cruentus ſtato tempore ſtillauit ex vtero, an luculento futuræ fœcunditatis argumento? Et contra quibus ſanguis, velut obſignatâ eâ parte quâ ferri debebat, erupit per nares, oculos, aures, os, papillas, digitos, inguen. Quid quòd videas interdum eadem re, contraria peragi, ſic qui vocem includit dolor, expediit muto Crœſi filio. Et videas aliquos Naturæ munere ad ſingulare quid natos & habiles. Sunt qui flent, qui rident, qui ſudant, qui aures, qui immoto capite cæſariem mouent, cùm volunt, qui ſerpentum morſibus reſiſtunt & medentur, qui eorum quæ vorarint quodlibet integrum velut de ſacculo promunt. Eſt hic ἐγγασρίμυθος ad fallendum, ſi animum adjiciat, optimè comparatus: is auium, iſte pecorum voces ſic imitatur & reddit, vt diſcerni non poſſit. Viſus qui à ſuis ſe ſenſibus abſtraheret, vt jacente ſine anhelitu corpore, vel ſi vreretur, nullum illorum extaret officium. Viſi quos millies herculeo morbo concuſſos, & quos jamdiu reſolutos motúque omni deſtitutos, vna Natura repente releuauit; morbi cauſâ micantis caloris, quaſi purgatricis flammæ purioris vi diſcuſsâ per abdita quædam effugia. Ita nonnunquam ſanat, quos nec Medicus, nec ipſa ſi velit Salus, ſeruare queant. Nimirum pro ſubjectæ materiæ ex qua quidque fingitur temperatione, proutque ſe habet calor, qui in viuentibus mouet, cohibet, regit, imperat, neceſſe eſt aliud & aliud effici, quorum omnium, vt & eorum quæ res ipſas circunſtant æſtimatione, ex vſitatis Naturæ operibus veneratione digniſſimis, quid præſtare valeat, ſi vires intenderit, ratione colligendum.

VTERVM, cui propè cum omnibus corporis partibus manifeſta eſt aut tacita quædam conſenſio, ſeu diuinam fauiſſam, ſeu corporis ſentinam muliebrium morborum procreatricem voces, nihil peccas: illac enim vbi ſemen puriorque ſanguis ad fingendum hominem præſto ſunt, Naturæ ex arce cloacam facientis abuſu ejiciuntur cruentæ ſordes & reliquiæ ſanguinis, qui vbi vel ſine ordine, vel crebrior copioſiorue profunditur, perit appetentia, infeſtant cruditas, alienus faciei color, pedumque ac corporis vniuerſi tumor; cùm acrior & ſanioſus, vterum exedt vlcus, dolorem, tabem, ex hacque facti à vetula maleficij opinionem credulis allaturum. Eundem cohibitum, vredine, & graueolentis loci nidore inquinatum, ſiue illic ſubſiſtat, ſiue mammas, cor, cerebrum petat, quantæ ſequuntur clades? Vexant nauſea, cibi conuenientis faſtidium, alieni deſiderium, vomitus, ructus, rugitus ventris, torpent ægri pedes, vox euadit aſpera, corpus capillatius, hirſutum, barbatum, quemadmodum Phaetuſæ & Namyſiæ: fit etiam fatuum cor miſellæ, quæ & delirat, inſanit, clamat, mœret, metuit, dæmonas videre ſe putat. Ab eadem voragine, ſi retenti calidioris corruptique ſeminis vitio, venenata aura ſurſum ſcandat, dum quouis phalangij & ſcorpionis morſu peſtilentior, ægræ ventriculum, jecur, φρένας, cor, pulmonem, gulam, cerebrum hoſtiliter impetit; modò queritur ſibi fauces & animam quaſi vinculo intercludi; modò veterno correptæ, attonitæue ſimilis corruit ſine ratione, ſenſu, motu, pulſu, voce, ſpiritu; modò jactatur, & ad terram alliſa quatitur, ſpumam agens ore. Et iſtarum affectionum, quarum horribiles innumeræque formæ, perinde ac febrium, varij ſunt ordines atque circuitus, leuiores, atrociores, rariores, frequentiores. Vide jam vt deſultoriâ leuitate huc illuc excurrens vterus, nunc in hanc, nunc in iſtam ſe partem flectit, nunc globosâ circa vmbilicum mole tumorem mentitur, egregiéque imponit minùs ſolertibus: vt domeſtico quidem ſemine circunfluens, at virilis ceu deliciarum ſuarum auidus, penéque ſiti enectus, donec ſe expleuerit, miſcet, turbat, perditque omnia: quantus fœminæ furor, quantæ ineptiæ, iræ, ſuſpiciones, inimicitiæ, quàm rabioſum ſilentium: modò flet, modò geſtit gaudio, nec vultus, nec color vnus, pallet, rubet, truculenter liuet; nunc defecta viribus, quieti ſe reddit; ſed ſui impotens, ſomni expers noctem querelis ducit, improbis vſta facibus; nunc oculos paſcit erubeſcendis ſpectaculis, totáque mente complectitur quam ſibi depinxit amaſij, & peroptatæ veneris imaginem. Leuiora hæc, amoris enim calorem ſimul atque totis traxit medullis, etiam poſito pudore, præcipuo fœminarum ornamento, omniſque honeſti magiſtro conſilij, quas diu verſauit animo res obſcænas ſcurrili procacique ore palam & impudenter effutit, laxatiſque demum libidini habenis, prurientium pudendorum ſcalptu, geſtu, vultu, ſermone viros aucupatur, ſtudet pedibus conſequi, & ſi votis exciderit, vel perit cæco igne & macie ita confecta, vt non cognoſcas eandem eſſe; vel amoris œſtro percita, ſceluſque ac feritatem anhelans, laqueo, ferro, aquâ, veneno mortem ſibi conſciſcit. Huc & adigit inſanus amor, qui nec viris parcit, quanquam fœminas, quòd qui illas regit animus, imbecillum gerant, ſæpius crudeliuſque exercet. Tot ac tanta mala quæ craſſum humeris vulgus ſuſpicatur ab irato Deo, vel ab inſtigante dæmone profecta, parit negata vel intermiſſa venus, citráque aliam opem quaſi miraculo ſedat aduocata, ideóque, cùm fas eſt, acceleranda.

LIEN laxâ raritate mollis, cavus, & fungoſus, fons alter ſanguinis, atræque bilis, cujus & ſedes eſt ac receptaculum, vt ad ingenij vim eximiam confert, dum valet; ſic cùm ſuo deeſt muneri, morbos conflat horrendos; tardumque dictu, vtrocumque modo ſe habeat, pluráne gerantur admiranda, & propemodum opinione majora. Atri ſcilicet humoris ex ſe quidem duriuſculi & ſiccioris, at melioris ſanguinis admixtione emolliti temperatique dominatu excuduntur ſpiritus ſubtiles, ſublatâ omni excrementorum nube, puri, ſplendidi, calidi, igniti, auri in modum lucentes, motu agiles, actione vehementiſſimi, è ſtabili ſucco jugiter emanantes, quorum & diuriſſimè ſeruientium obſequio fretus animus, ſolitudinis alioqui meditationis, laboriſque patiens, diu, acriter, vehementer indagat, clarè perſpicit, ſyncerè dijudicat, tenaciſſimus judicatorum: pulchrè vt ille pronunciauerit, quoſcunque ingenio & quauis arte præſtantes, Melancholicos extitiſſe; non natos, ſed à Deo fictos diceres; ætatis quippe moras rumpunt, & tam citò viri doctique, quàm homines, diſciplinas omnes velut à Muſis traditas tenent; artes ſuo martê comminiſcuntur aut locupletant, poëticas fores ſoli feliciter pulſant, ſæpe, quæ cæteros latent, nullo quidem afflante, at vſu doctrinâque adjuti, & quaſi Naturæ ſocij, è majore ſuggeſtu præſentiunt, vident, prædicunt. An Sybillæ quia ſic à natura comparatæ; An terræ vi atque anhelitu, quæ vocant oracula edidére? Nugæ. An Dei, geniíue impulſu, an potius à vafris corruptæ hominibus, vt illa docta φιλιππίζειν, adhibitâ diligentiâ, & obſcuritatis latebrâ, ſublatáque hominum ac temporum definitione, ambiguâ oratione callidè protulere, quod ad alia, atque alia accommodatum, videretur prædictum? Ab atræ illius bilis excellenti conditione longè deflectit, quæ nimio ardore peruſta eſt, & quæ ſiue ab ortu; ſiue vt cineribus euenit, diſſipato calore friget. Certè ab vtráque variè affecta, variaſque partes imbuente ſuâ, ſeu ſubſtantiâ, ſeu expiratione, emergunt infinita Melancholicorum diſcrimina & ſtudia; vt & infinita morborum ac ſymptomatum genera. Non tot modis mentem mouet moreſque mutat ſumptum meracius vinum: ille adit amatque ſpeluncas & ſepulchra, hic mortem quam timet expetit; alij ſe feras, lupos, canes, aues, mortuos, lapides, lanam, ferrum eſſe conſtanter aſſerunt; alij ſtrident dentibus, obuios quoſque conſputant, mordent, feriunt, diſcerpunt: nimirum flammatus humor, petulantes; frigidus, triſtes ac meticuloſos efficit; hic Melancholiam quamlibet, Stupiditatem, Amentiam; ille Ecſtaſim melancholicam, & Inſaniæ genus omne; an vterque Epilepſiam, Incubum, Apoplexiam?

CVM dormienti è fæculento circa præcordia ſucco ſpiſſus vapor irrepit in fauces & cerebrum, fit Epilepſiæ Apoplexiæque pararius Ephialtes, quo, qui laborat, quoniam ab inſiliente aliquo opprimi ſe opinatur, craſſi quos nullus eruditionis odor attigit, affectum detorſere ad Dæmonas, quos & diſtraxere in Succubos, & Incubos, etiam cum prole. Idem humor vbi omni aut ad cerebrum, aut ad neruos aditu prohibet ſpiritus, homo ſubitò velut ictus fulmine cadit, mortuum crederes, niſi magno conatu traheret ſtrepentem animam, triſte quidem ſpectaculum; at ab Apoplectico quantulum diſtat qui quotidie mortem induit ſopitus ſtertenſque ſenex? longè triſtius, vbi dejectus æger ſpumæ & elabentium excrementorum proluvie conſpurcatus diſtorquetur, effrenatéque concutitur; non vi dæmonis, ſed Naturæ cum infeſto vapore colluctantis: hoc ſi nondum perſuaſum eſt, cogita quæ vis ſit ventorum, fulminis, quæ fiant terræ labes, qui fremitus ab incluſo ſpiritu, quid efficiat punctus nervus, quid Tarantulæ rabidíue canis morſus. Quid igitur illic ſacri? quid ad diuos pertinet, comitia cur habere nefas? Alterius etiam vigilantis & attenti mens falſis luditur imaginibus, habetque informata multa, quæ vidit nunquam: non dæmone, ſed humore vel vapore nigro mentis arcem ſubeunte; niſi dæmonem inde vocas, quòd δαιμαίνει; nempe mœroris timoriſque, qui nunquam abſcedunt, magnitudine; à conſtantia, à mente, atque à ſe ipſe diſcedit. Eidem dormienti objiciuntur viſa tetra, tortuoſa, impura; vt ſe cruentari, matri, belluæ miſceri, ſpectra, lamias, lemures contueri, ſagarum Magorumque conuentibus intereſſe exiſtimet: at hoc ipſum fit pharmacis; & temulenti, nimióque potu ac cibo onuſti, nullo aduentitio pulſu, iſtis ſimilia cernunt, quæ excitati, vt ſe collegére, pro nihilo ducunt: ſapientibus, integris, temperatoque victu ad quietem euntibus, vel nulla occurrunt, vel tranquilla & vera. Eorum qui ex bile atra inſaniunt, alij rumpunt validiſſima vincula, tolluntque onera, quibus ſint impares humani lacerti. Propone oculis tuis Milonem, aut phrenitide ardentique febre jactatum ægrum, quanto impetu quiduis exequitur? febris æſtus reſederit, eliſum & ſine neruis ſua prorſus brachia deſerent. Alij Ecſtaſi rapiuntur extra ſe: è corpore ſi exceſſiſſe contendis redituram mox animam, quis ſe riſu abſtineat? Aliter irâ cumulati, ſtupentis, metuentis animi ſæpe nullum apparet munus: an & illâ quid leuius affert Catalepſis? Iactant alij voculas aliquot peregrinæ linguæ: quaſi non omnes humani ſint inuenti, & arbitrij. Quantò illud illuſtrius Somnambulum carmen limatiſſimum, & ardua alia quæ non potuit vigilans, ſomno propè ferreo vinctum abſoluere? Auguratur fortaſſis alius, prænunciatque futurum aliquid, quod ſi, etiam omni demptâ fraude, in rem auditorum aptè cecidit, clamant illico implicatum homini dæmonem: an veritatem caſus imitatur? Et totum diem jaculans, aliquando collimat. An ſicut animus diuinæ lucis radius immortalis, in ijs qui mortifero morbo ſunt affecti, quaſi jam pedes referat, nihilque ſit ei cum corpore, videt inſtare mortem, narratque multa quæ noſſe incipit: Ita humoris atri calore, haud ſecus ac ſubditâ face inflammatus ac vigens, aſpectu res clariùs cernit, futuraſque proſpicit? Planè quod Naturæ neceſſitas perfectura eſt, ante denunciare poteſt eruditus & exercitatus quiſque; poteſt & certas res, quibus certa ſigna præcurrunt, & quibus notandis artem fecit obſeruatio diuturna; quæ vt nonnunquam fallant, tamen ad veritatem ſæpiſſimè diriguntur: ſic morbum ingraueſcentem ratione prouidet Medicus, tempeſtatem Gubernator; quod verò neque cauſam, neque notam habet vllam cur futurum ſit, vnus videt Deus. Tanta certè eſt ad iſthæc omnia nigri humoris efficacia, vt qui dæmoni fere quiduis tribuunt, illo quaſi balneo pabulóque delectari (de quadrupede loqui putes) illo ſemper ad ea quæ molitur vti fateantur, & eum interim Medicorum non rarò morbum cum humore remouentium arti ſubjiciant. 571

Ergo morbi inſolentes & qui Naturæ modum ſuperare videntur, ab vtero, liene.



Proponebat Lutetiæ NICOLAVS RAINSSANT, Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. LXII.